



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacræ
Theologiæ Professoris, Cursvs Philosophicvs Vniuersvs**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. VIII. De appetitu materiæ ad formas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

siuà, hoc enim sonat, materiam nullam actu habere formam, sicut esse in potentia logica est nullam habere existentiam.

IV.
Materia prima non excludit omnem actum.

Dico primò: materia prima non ita est pura potentia, ut omnem excludat actum. Probat, est entitas aliqua, seu quiddam physicè & realiter ab entitate formæ distinctum, ergo habet actum entitativum, qui entibus omnibus, eo ipso quòd entia sint, est communis. Conf. primò, materia constat ex genere & differentià cum defini possit, ut vidimus ex Aristotele eam definiente, quòd sit *primum subiectum ex quo sit aliquid, ita ut insit*, ergo saltem habet actum metaphysicum, differentiam scilicet, quã ab omni aliã re distinguitur. Conf. secundò, materia habet propriam existentiam, ut postea videbimus, ergo habet actum existendi.

V.
Habere debet actum entitativum

Conf. tertio, esto enim concederemus materiam existere per existentiam formarum, adhuc necessarid esse per se deberet entitas aliqua, sicque habere actum entitativum, nam pereuntibus variis formis, quibus successivè subest materia, manet perpetuò eadem entitas materiæ, ergo habet actum entitativum, seu entitatem aliquam à formis distinctam.

VI.
Materia prima est pura potentia physica.

Dico secundò: materia prima est pura potentia physica, excludens ab entitate suã omnem actum physicum, ac dicens repugnantiam ut sit actus physicus seu forma, multò magis ut sit totum compositum, ut quidam volebant ex antiquis, quos impugnat Ari-

stoteles, dum ait materiam esse puram potentiam, & hoc solum sensu ab ipso & S. Thoma vocatur pura potentia. Probat, conclusio, materia est primum subiectum, ergo non potest esse forma, primum enim subiectum illud est quod non habet aliud prius se, si autem materia prima esset forma, deberet inesse alteri subiecto, & consequenter non esset primum, ut supra ostendimus. d. 3. l. 1.

Dices, ergo materia est purus actus subsistens, Distinguo consequens, est purus actus subsistens incompletus, concedo consequentiam; completus, nego: actus enim completus ut Angelus, non ordinatur ad complendum aliud, sed est ens per se completum, & omnibus quasi numeris in hoc genere absolutum: Actus autem incompletus ille est, qui ad aliud complendum ordinatur, ut anima rationalis. Materia autem est actus incompletus, non quicunque, sed entitativus, non verò physicus, hoc enim competit soli formæ, ut diximus.

VII.
Materia est purus actus subsistens completus.

Licet autem, sicut materia vocatur *pura potentia physica*, ita forma in rigore appellari posset actus purus physicus, non tamen ita loquendum, nisi addatur informans vel informativus, quia per actum purum communiter intelligunt auctores Deum, qui est actus purus perfectè & completè subsistens, omnem omnino rationem potentiæ passivæ essentialiter excludens.

VIII.
An forma dici possit actus purus physicus.

DISPUTATIO VIII.

De appetitu materiæ ad formas.

Nihil apud Aristotelem frequentius, nihil usitatius in Scholis, quàm materiam formas appetere. Hic ergo quid tam celebris iste materiæ appetitus sit, investigandum. Cui quæstioni miror nonnullos tamdiu insistere, eamque tam operosè discutere, cum nullibi acrius disceptetur de nomine.

SECTIO PRIMA.

Quid, & qualis sit appetitus materiæ ad formas.

I.
In quo differant appetitus à potentia passiva.

Notandum, appetitum aliud nihil esse, quàm *propensionem alicujus rei in bonum suum, & perfectionem*: unde in hoc differt à potentia passivã, quòd hæc ad id etiam aliquando detur, quod non est perfectio, nec bonum habentis, ut aqua potentiam habet receptivam caloris, animal doloris, & similia.

II.
Appetitus duplex, elicitus, & innatus.

Appetitus duplex est, *elicitus* alius, alius *innatus* seu naturalis: appetitus elicitus est actus aliquis à potentia appetitiva productus, quo quis quod sibi congruit, expetit, quã de causã vocatur elicitus. Cum ergo opus natura sit opus intelligentiã, ut ait S. Thomas, & Aristoteles, sicut animalia bonum quod per cognitionem præviam repræsentant, appetunt per appetitum elicitum; ita res omnes naturales per suas entitates in suum bonum & perfectionem propendent, quæ inclinatio & propensio vocatur *appetitus innatus*, seu *naturalis*, non elicitus, quia est sola entitas ipsa rerum, & non actus quispiam vitalis, & sensibilis à potentia aliqua procedens, ut in rebus cognoscitivis contingit. Sic lapis appetitum naturalem habere dicitur ad centrum, ignis ad suam sphaeram, & materia pri-

ma ad formas, quibus, cum ex se sit quid incompletum, perficitur, ac proinde formæ hoc sensu sunt bonum materiæ, & illius perfectio.

Sicut verò omnis actus elicitus rei per cognitionem operantis non est appetitus, seu prosecutio, sed odium aliquando & fuga, nempe respectu mali; ita res etiam naturales appetitum innato averfantur veluti ac fugiunt quædam, ea nimirum quæ ipsis mala sunt & inconvenientia. Sic animal appetitum vel actum elicitum dolet de malo aliquo præsentem, & homo actus erroris elicit, ad quæ tamen appetitum innatum non habent, sicut nec aqua ad calorem, sed illum averfantur potius ac fugit.

III.
Res per appetitum innatum quædam fugiunt, & averfantur.

Secundò notandum, sicut appetitus seu actus elicitus triplex constitui solet, *desiderium*, quod est de bono absente, *Gaudium* seu fructio & quies de bono præsentem, & illius possessio, & *amor*, qui absoluto quodam modo in bonum fertur secundum se, abstrahendo à præsentia ejus vel absentia; sic suo etiam modo philosophari possumus de appetitu innato, Si ergo bonum & perfectio rei debita absit, dicitur respectu illius, *desiderium*: si adsit, *gaudium* de illo dicitur, vel fructio: si verò secundum se sumatur, & respectu merè transcendentali, dicitur *amor*.

IV.
Desiderium, Gaudium, & Amor.

Notandum tertio, sicut actus seu appetitus elicitus alij absoluti sunt, alij conditionati & inefficaces ita & in appetitu innato hujusmodi aliquid reperitur. Ultimo verò, & præcipuè notandum, cum appetitus innatus per metaphoram tantum dicatur appetitus, & improprie, similitudine ab appetitu elicitu deducta, non ita exactè conferri cum appetitu elicitu debere, ut quidquid in hoc reperitur, ascribatur statim alteri, eique ad amissum quadret, sed sufficit si in unã vel alterã proportionem cum illo conveniat.

V.
Actus appetitus, alij absoluti, alij conditionati.

Prima

VI. Prima conclusio: materia respectu transcendentali, seu appetitu innato formas omnes appetit. Probatur, Appetitus hic nihil aliud est quam propensio & inclinatio naturalis in bonum proprium & perfectionem, sed formæ omnes sunt bonum & perfectio materiae, per eas enim tanquam per compartes juxta naturalem, quam habet, inclinationem perficitur, ergo.

VII. Secunda conclusio: Materia appetitu innato magis formas perfectas appetit quam imperfectas, & consequenter omnium maximè appetit animam rationalem. Est contra P. Arriagam d. 2. Phys. l. 4. n. 42. Hæc conclusio exinde probatur, quòd cum appetitus innatus, ut diximus, sit propensio cujusque rei in bonum suum, quòd res quæpiam est illi melior, eò illam magis appetit, cum ergo maximè perficiatur materia ab animâ rationali, utpote forma omnium nobilissimâ, maximè illam appetet.

VIII. Dices; propensio materiae est ipsa ejus entitas, sed entitas materiae est indivisibilis, ergo & propensio, ergo non est major vel minor propensio respectu unius quàm alterius. Resp. negando ultimam consequentiam, licet enim entitas materiae, & consequenter respectus ejusdem transcendentalis, & propensio sit indivisibilis, hinc tamen non arguitur, non magis propendere materiam ad unam formam quàm ad aliam, non quòd entitas illius & propensio dividatur, & pars hanc formam respiciat, pars illam, sed tota materiae entitas magis propendet ad unam formam, quàm ad aliam, juxta formarum in perfectione diversitatem.

IX. Nec hoc mirum cuiquam videri debet, cum idem in appetitu elicitio contingat, & aliis rebus: primò enim possunt duo eodem indivisibili actu amari & appeti inæqualiter, ut cum quis creaturas propter Deum amat, & medicinam propter sanitatem, quod etiam contingit cum duo vel plura objecta disparata amantur eodem actu inæqualiter. Idem in intellectu cernitur, ut dum per visionem beatam videtur Deus clarè & intuitivè, creaturæ autem solum abstractivè. Sic eadem visio materialis duos colores, quorum unus alio est obscurior, vel remotior, representat, sicque totus actus respectu unius est clarior quàm respectu alterius.

X. Omnium ergo formarum maximè appetit materia animam rationalem, utpote maximam suam perfectionem: si enim materia appeteret per cognitionem præviâ, maximè eam appeteret, ergo jam idem præstabit, licet non cognoscat, cum opus natura, ut dictum est, sit opus intelligentiæ.

XI. Dices secundò; gnis æqualiter appetit quancunque saltem ex supremis partibus suæ sphaeræ, ergo & materia æqualiter appetit quancunque formam. Nego consequentiam, nam sphaera ignis est ex partibus homogeneis, nec una pars, excedit in perfectione aliam: at sphaera, ut ita dicam, materiae, nempe formæ omnes, est heterogenea, constans ex variis partibus dissimilibus, formis scilicet in perfectione inæqualibus; Instabis, ergo materia est in statu violento quando est sub aliâ formâ, quàm sub animâ rationali. Nego consequentiam, non enim cum aliquid non est in perfectione suâ maximâ, sequitur esse in statu violento, sicut nec intellectus est in statu violento cum non habet actum omnium perfectissimum, quem ex natura suâ aptus est elicere. Cum ergo quælibet forma sit beatitudo quasi naturalis ipsius, eamque instar compatis compleat, materia sub quavis bene & sufficienter se habet, estque suâ sorte contenta, sicque non est in statu violento, licet meliore loco esset si informaretur ab animâ rationali. Deinde materia ut pars universi appetit varietatem, ut postea dicitur.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

Tertia conclusio: si spectetur appetitus materiae ad formas merè secundum ordinem illius transcendentalem ad easdem, est potius instar amoris propriè dicti, quàm desiderij, vel gaudij. Ratio est, quia id solum spectat ad ordinem transcendentalem quod relucet in entitate materiae per se consideratæ, sed in entitate materiae per se consideratæ, nec relucet actualis possessio formæ, nec negatio actualis possessionis illius, id est, nec præsentia actualis seu unio formæ, nec absentia, sed solum prædicata essentialia formarum, ergo ordo & appetitus transcendentalis materiae nec est per modum gaudij, nec desiderij, cum hoc essentialiter includat vel præsupponat absentiam rei, illud præsentiam; ergo est potius instar amoris propriè dicti seu complacentiæ cujusdam, quæ abstrahit & à præsentia & absentia rei amatæ.

Dices; materia respectu transcendentali appetit ut habeat formas, ergo involvitur ibi negatio præsentia formarum, nihil enim appetit quod habet, ergo. Resp. negando primam consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens, nihil appetit quod habet, appetitu desiderij, concedo antecedens; appetitu amoris & complacentiæ, nego: Amor enim hic materiae metaphoricus imitatur amorem verum, qui in rem nec ut absentem fertur, nec ut præsentem, sed in eam merè secundum se. Qui affectus manet, etiam dum formæ sunt præsentæ, & unitæ materiae.

Cum ergo dicitur, materia appetit ut habeat formas, distinguenda est illa propositio, appetit ut habeat, id est, appetit formas, seu propendet in eas, concedo; appetit ut habeat prout hæc verba sonant, nego, verba enim sonant carentiam formarum, seu materiam non solum esse potentiam, sed esse in potentia ad formas, quæ tamen carentia in conceptu intrinseco ordinis transcendentalis non includitur, sic lapis, etiam dum est in centro, dicitur appetere centrum, seu in illud propensionem habere, non tamen appetere, ut habeat, vel ut acquirat centrum, hoc enim sonat necdum eum ad centrum pervenisse.

Quarta conclusio: si materia existeret sine omni forma, posset dici desiderare omnes. Probatur, nam omnes in eo casu abessent, ergo omnes desideraret.

Conf. primò, si materia esset sine omni formâ, & Deus crearet decem formas materiales diversæ speciei extra materiam diversis in locis, illæ decem formæ omnes simul & eodem instante appeterent illam materiam, ergo & eodem modo materia appeteret & desiderabit illas, eum non minus omnia requisita ad appetitum & desiderium ponantur ex parte materiae quàm formarum, ergo similiter omnes formas possibiles appeteret. Conf. secundò, forma leonis v. g. conservata sine omni materia, non unam aliquam solum materiam desideraret, sed omnes quæ ipsius sunt capaces, non enim est major ratio eum unam appetat quàm aliam, ergo &c.

Conf. tertid, ponamus aliquem ignem esse in centro terræ, in puncto scilicet à sua sphaera remotissimo, vel in minimo aliquo loco ibidem, & ascendantur omnia impediencia intermedia, adhuc non ascendet, quia scilicet appetit & desiderat omnes partes suæ sphaeræ, cum ergo determinare se nequeat, manebit in centro.

Dices; latam esse hæc disparitatem inter materiam & ignem, sphaera enim ignis constat ex partibus homogeneis, ut diximus, sphaera autem, ut ita dicam, materiae ex heterogeneis, cum formæ sint in perfectione inæquales. Resp. sphaeram quidem materiae esse inæqualem, & in hoc fateor, est diversitas inter ignem & materiam, sed hoc non arguit quia materia appetat omnes sphaeræ suæ partes, seu omnes formas,

XII. Appetitus materia ad formas est instar amoris.

XIII. In appetitu materia ad formas involvitur negatio præsentia formarum.

XIV. Quæ sensu materia appetit ut habeat formas.

XV. Materia sine forma desideraret omnes.

XVI. Forma omnes tunc appetent materiam.

XVII. Explicatur exemplo ignis in centro terræ.

XVIII. Sphaera ignis æqualiter appetit materiam inæqualem.

formas, licet non aequaliter. Sicut si quis frigeat vel esuriat, licet maxime appetat & desideret optimas vestes vel cibos, non tamen sequitur non desiderare & appetere minus praestantes.

XIX. Quinta conclusio: Materia, etiam dum est sub una forma, licet sit perfectissima, anima rationalis ex g. appetit & desiderat alias omnes sibi possibiles, non quidem pro eo tempore quo habet hanc, sed pro alio, seu nunc, ut loquuntur Dialectici, pro tunc. Probat & explicatur conclusio, nam licet quis aetate indutus veste byssina non appetat villosam, aut sagum pro eo tempore, appetere tamen tunc eas vestes potest pro hyeme, vel pro tempore belli: sicut & ignem media aetate potest quis appetere pro tempore hyemino.

XX. Non ergo hinc inferas, si desiderat praesentiam alterius formae, desiderare etiam absentiam & destructionem illius quam habet, nam non desiderat illam quam non habet omnino absolute, sed aliquo modo conditionate ex parte objecti, casu scilicet quo hanc amittat.

XXI. Gaudet ergo materia de forma praesente, desiderat absentes, gaudium & desiderio non transcendentali, sed praedicamentali, id est, quod non consistat adaequatione in sola entitate materiae, sed sit denominatio partium intrinseca, partium extrinseca, includit nempe unionem, vel negationem unionis formae.

XXII. Dices; natura humana id Christo subsistens subsistentia Divina, non appetit propriam, quia Divina est perfectior, ergo nec materia, dum est sub anima rationali, appetet alias formas imperfectiores. Resp. primo, verum quidem esse naturam humanam non ita propriam appetere subsistentiam dum subsistit Divina, quasi sub hac esset in statu violento, sicut est in statu violento lapis, & appetit centrum, dum penitus detinetur in aere; verum tamen etiam tunc propriam appetit, saltem conditionate.

XXIII. Secundo dico, si natura illa non appetat propriam subsistentiam, non est ob majorem perfectionem Divinae subsistentiae praecise, sed quia Divina eminenter continet propriam subsistentiam naturae humanae, sicque dum Divinam habet, habet eminenter suam, quam solam desiderare potest: anima autem rationalis non continet eminenter omnes formas, quas appetit materia, ut formam ligni, lapidis, leonis, equi, terrae &c.

XXIV. Dici etiam posset, quod supra insinuavi, centrum veluti, & scopum materiae esse pulchritudinem universi, quae in rerum varietate consistit. Materia ergo ut pars universi, vicissitudini rerum, & universi pulchritudini subservit. Secundum tamen propriam suam & privatam inclinationem, maxime in animam rationalem propendet, utpote formam formarum omnium perfectissimam. Quare si in circumferentia sphaerae alicujus, qualis est sphaera ignis, collocarentur formae omnes sigillatim, quarum est susceptiva materia, & materia collocaretur in centro, haberetque vim ascendendi instar ignis, caeteris relictis, recta ascenderet ad animam rationalem.

XXV. Quod de formis substantialibus diximus, intelligi etiam debet de accidentalibus, quas non minus respicit materia, quam substantiales; de utrisque etiam respectu materiae, quam vicissim respiciunt.

SECTIO II.

Utrum materia habeat appetitum ad formas corruptas.

I. Ratio dubitandi est, quia formae corruptae reproducti naturaliter non possunt, sicque nec naturaliter informare materiam, ergo nec e contra ma-

teria poterit naturaliter eas recipere, ergo non est potentia naturalis respectu illarum, ergo postquam semel destructae sunt, materia eas amplius nec respicit, nec appetit.

Prima sententia affirmat universam materiam formas corruptas appetere. Ita P. Hurt. d.2. Phys. l. 3. n.36. P. Oviedo c.2. Phys. p.4. n.19. & multi ex recentioribus. Secunda sententia est aliorum qui negant materiam appetere formas corruptas, quam etiam sequitur P. Arriaga. d.2. Phys. l.4. n.44.

Notandum quod supra explicavi, materiam duplicem dicere appetitum seu potentiam ad formas, transcendentalem seu remotam, & praedicamentalem seu proximam. Appetitus transcendentis est sola & nuda entitas materiae, praedicata nimirum illius essentialia, seu aptitudo & ordo transcendentis ad formas. Appetitus vero praedicamentalis seu proximus alia multa connotat, nempe dispositiones, & alias circumstantias, ablationem etiam impedimentorum, & ut potentia materiae sit plane ad receptionem formarum expedita.

Prima conclusio: materia appetitu transcendentali & remoto respicit formas corruptas, idque sive ea naturaliter reproducti possint, sive non. Probat, potentia remota materiae aliud nihil est, quam ipsa entitas illius, sed haec eadem est quantumvis formae corrumpantur, ergo remanet in materia potentia remota ad formas, etiam ipsis corruptis. Conf. ad potentiam hanc remotam aliud non requiritur, quam talis proportio inter praedicata intrinseca illius quod est potentia, & terminum ad quem est potentia, seu inter actum & potentiam, ut loquuntur Philosophi, sed eadem est proportio praedicatorum inter materiam & formam corruptam, quae erat antequam corrumpetur, ergo.

Secunda conclusio: si forma corrupta iterum reproductur, non minus illam naturaliter recipiet materia per novam unionem, quam eam primo recepit, nec minus naturaliter compositum cum ea naturale constituet. Unde Angelus compositum illud jam constitutum intuens, nihil in eo videbit praeternaturale, nec sciet utrum sit ex forma reproducta constitutum, an ex forma tunc primo producta. Ratio est, quia ad compositum constituendum parum refert qua actione, vel quo modo forma producat, naturaliter scilicet, an supernaturaliter, sed sola spectatur proportio inter actum & potentiam receptivam, seu praedicata eorum essentialia, quae cum eadem sint quae in prima formae productione, eodem modo concurrent ad compositum constituendum.

Conf. si color aliquis destructus reproductur, esto in illius reproductioe aliquid interveniat praeternaturale, postquam tamen est reproductus, non minus naturaliter eum videbit oculus, quam antequam destrueretur.

Tertia conclusio: materia habet potentiam & appetitum naturalem, non transcendentalem tantum, sed etiam praedicamentalem respectu animae rationalis, cui semel unita, ab ea postea fuit deunita. Ratio est clara, illa siquidem est potentia naturalis, non transcendentis tantum & remota (de qua in praecedentibus duabus conclusionibus) sed praedicamentalis etiam & proxima, ad quam, ut ad actum reducat, non est necessarium ut aliquid interveniat supernaturale, nec quoad rem, nec quoad modum, sed ut materia deunita ab anima rationali, illi iterum in quibusdam casibus uniatur, non est opus ut quidquam vel supra vel praeter naturam interveniat, ergo. Probat minor, si quis praecisam sibi brachij v.g. partem comederet, non minus illa nutriretur, & in suam eam substantiam converteret, quam

Materia existens sub una forma appetit alias pro alio tempore.

Nec tamen propriea desiderat absentiam forma praesentis.

Gaudet materia de forma praesente, desiderat absentes.

Natura humana Christi appetit propriam subsistentiam conditionate.

Dicunt aliqui non omnino eam appetere.

Duplex in materia ad formas proferro.

II. sent. ait materiam appetere formas corruptas. Secunda negat.

III. Duplex in materia appetitus, remotus & proximus.

IV. Materia appetitu remoto reproductur formas corruptas.

V. Si forma corrupta reproductur, materia eam naturaliter recipiet.

VI. Color reproductus videtur naturaliter.

VII. Materia naturaliter respicit animam rationalem sibi ex parte deunitam.

quam si esset pars alterius cuiuspiam animalis, ergo materia illa per novam partem unionis rursus naturaliter uniretur animæ, à qua semel fuit deunita, ergo quando est deunita, appetit eam naturaliter. Idem in sententia S. Augustini, S. Thomæ & Aristotelis est de forma cuiuscunque animalis perfectæ, heu qui, leonis &c. quam ipsi affirmant esse indivisibilem. De quo in libris de Anima, d. 8.

VIII. Aliud est de Anima plena deunita.

Quarta Conclusio: anima rationalis integrè semel à corpore separata, nec unquam materiæ naturaliter reunitur, nec reuniti naturaliter potest, unde neque materia eam hoc modo deunitam appetitu prædicamentali respicit.

IX.

Prima Conclusionis pars est certa, alioquin in Pythagoræ metempsychosin incidere, qui animas de corporibus in corpora transmigracione quotidianâ transire somniabat. Secunda etiam pars probatur, animæ enim, postquam à corporibus, quibus prius unitæ erant, sunt semel separata, sunt in termino merendi, unde naturaliter viâ & modo uniri denud corporibus, & in hanc vitam & agonis locum redire naturaliter non possunt. Ex quibus constat tertia conclusionis pars, si enim animæ naturaliter materiæ rursus uniri, & eam informare nequeant, materia eis appetitu prædicamentali naturaliter appetere non potest, appetitus siquidem completè naturalis, terminum postulat naturaliter possibilem.

Cur anima naturaliter reuniti nequeat corpori.

X.

Resurrectio mortuorum est miraculosa.

Hinc constat resurrectionem mortuorum esse quoad modum supernaturalem, ac miraculosam, tum quia non naturali viâ tunc homines reproduciuntur, tum quia tot corpora quorum materia sub alijs formis immediatè antè existerat, elementis scilicet, plantis, & animalibus, subitè in ictu oculi compinguntur, disponuntur, & animabus informantur, sicque multis nominibus naturæ legis infringuntur.

XI.

Utrum verò materia prima alias formas tum substantiales, tum accidentales semel destructas appetitu prædicamentali connaturali respiciat, ab eâ quæstione pendet, an scilicet formæ, & res aliæ semel destructæ, possint naturaliter reproduci. De quo hæc sequente.

SECTIO III.

An forma destructa possint naturaliter reproduci.

I. Status controversie.

Quæstio hæc non de formis tantum, sive eæ substantiales sint, sive accidentales, procedit, sed de omni omnino effectu, de quo proinde universum inquirimus, an, ubi semel res aliqua defuerit, redire naturaliter possit.

II.

1. sent. est posse rem destructam reproduci naturaliter.

Affirmat Greg. Ariminen. in 1. d. 17. qu. 4. art. 2. Hurt. d. 2. Phys. sect. 3. & d. 10. f. 4. Oviedo Cont. 12. p. 5. quam hodie sententiam passim sequuntur recentiores. Hanc opinionem à fortiori sequitur Scotus in 4. d. 43. q. 1. & Richardus ibid. q. 1. ar. 3. qui de facto id semper contingere asserunt, ubi idem agens idem denud passo applicatur.

III.

Secunda sententia negat.

Secunda sententia ait eundem numero effectum naturaliter iterum reproduci non posse. Hoc insinuat Suarez d. 5. Met. l. 9. n. 10. & To. 2. in 3. p. dist. 44. f. 6. §. Dico tertio sine tenet Vasq. T. 1. in 3. p. d. 74. cap. 7. n. 47. & deinceps. Arriaga d. 2. Phys. l. 4. n. 44. & multi ex recentioribus. Imò consueque quavis malè procedunt Durandus & Marfilus apud Suarez d. 115. sect. 9. n. 2. ut idem numero accidens in eodem denud subjecto recipi, nec divinitus posse affirmant.

IV.

Hæc secunda sententia mihi videtur probabili. R. P. Th. Comptoni Philosophia.

hior, in qua tamen probanda auctores non parum laborare video, res enim hæc nec in unam partem, nec alteram ita est explorata, ut animus planè acquiescat. Probant aliqui ex illo Aristotelis, c. de Op. post. post. medium, à privatione scilicet ad habitum non datur egressus, ergo secundum ipsum, idem numero effectus redire ac reproduci nequit. At longè alia est mens Philosophi, ut locum illum inventi constabit, discrimen enim illic assignat inter contraria & privativa, & in illis ait dari egressum, nam aqua ex frigida fit calida, & e contra, non tamen (inquit) datur regressus in privativis, ut in caco, calvo, & edentulo. Loquitur ergo non de regressu ad eundem numero effectum, sed ad eundem specie: primo, quia exempla illa proximè allata id ostendunt, nec enim, inquit, cæcus visum unquam recuperavit, nec calvus comam, nec edentulus ullum dentes emisit, ubi clarum est, non loqui de eodem numero visus, comæ, & dentibus, sed specie, seu quod nullum omnino visum cæcus quispiam recuperaverit. Secundò, quia id dicit fieri in contrarijs, quod negat in privativis, sed in contrarijs non datur regressus ad eandem numero qualitatem, sed solum ad eandem specie, seu ad similem, ergo in privativis intentio ipsius non est negare hanc numero comam, vel visum redire, sed vult nullam omnino redire.

Secunda sententia est probabilior.

A privatione ad habitum non datur regressus.

V.

Præcipua ratio cur res destructa non possit naturaliter reproduci.

Mihi hoc modo præcipuè suaderi videtur: In communi sententiâ non potest res ulla moveri naturaliter motu discreto, ita nimirum ut ab angulo orientali scholæ moveatur ad occidentalem, non transeundo per spatium intermedium, sed successivè tantum, seu prius occupando unam partem spatij, deinde aliam, donec ad terminum illum seu angulum perveniat, ergo nec durare res ulla naturaliter poterit duratione discreta, ita scilicet ut hodie seu instante A existat, & eras, vel in instante B destruat, & post dies tres vel annos, aut in instante D reproducatur, sed ut ad instans D naturaliter perveniat, durare debet in instantibus, seu tempore intermedio.

VI.

Univ. possit pulchritudo exigere videtur, ut eadem res non redeat naturaliter.

Probatur secundò, communis enim fermè omnium conceptus est eundem numero effectum de facto nunquam redire, ergo verisimile est fundamentum aliquod reperiri in naturâ cur non redeat, & hoc non merè contingere per accidens. Probatur tertio, probabiliter dici potest id naturam seu universum exigere ob majorem suam pulchritudinem, quæ in varietate & vicissitudine rerum maximè consistit. Quarto, refundi hoc potest in fecunditatem causæ, quæ requirere videtur ut novos semper & novos effectus producat, sicque magis virtutem suam exerat. Quintò in limitationem effectus, qui ubi semel extitit, satis jam illius appetitui hæc in parte est factum, nec aliam existentiam desiderat.

VII.

Si posset, unde constat non redire de facto.

Probatur sexto, si res destructa possint naturaliter redire, unde scimus de facto non redisse, & lucem hodiernam non esse eam quæ antè centum annos extitit, vel equum aliquem generosum jam viventem non esse Bucephalum, aut Rheobum, vel unum aliquem ex equis, qui in bello Trojano perierunt, & sic de alijs.

VIII.

Gravis dicitur statuisse Deum ut non redeant si possint.

Dices, decrevisse Deum ut nunquam idem effectus destructus redeat. Sed contra, unde constat Deum habere ejusmodi decretum. Dices, id eum habere ad ostendendam suam munificentiam. Contra, quo fundamento dicitur Deum hoc modo ostendere vel suam munificentiam? Dices, bonum universi hoc exigit. Contra, ergo bonum universi exigit ut nunquam idem effectus secundò redeat, sicque stante hæc exigentiâ universi, eadem res naturaliter produci denud non potest, quæ est una ratio nostræ conclusionis.



SECTIO IV.

Solvuntur objectiones, & quedam inferuntur circa appetitum materia ad formas corruptas.

I. Obi: forma destructa potest redire intra tempus suae durationis

Obiicitur primò; ponamus formam aliquam durare naturaliter posse per tres horas, si ergo secundâ horâ destruat, quid obstat quo minùs in tertiâ illâ horâ, quæ est intra spheram naturalis ejus durationis, denuò producatur? præsertim si idem agens & passum, à quibus primò producta illa forma fuerat, iterum sibi invicem applicentur; idem enim juxta Aristotelem 3. phys. c. 6. manens idem, semper aptum natum est facere idem.

II. Exemplo motus localis ostenditur formam illam redire non posse.

Sed contrâ, hic iterum urgeo primum argumentum quod supra ad probandam conclusionem adduxi, & existimo esse omnium efficacissimum. Petrus in angulo A existens potest intra quatuor instantia, ut suppono, locare se in angulo D. hæreat per tria instantia in angulo A, quare in quarto collocare se nequit in angulo D? cum sit intra tempus quo se illic naturaliter collocare potuisset. Dices; causam esse, quia non produxit ubi locationes angulo illi proximas. Contrâ, idem dico ego de duratione formæ in horâ tertiâ, ideo nimirum illam naturaliter habere eam jam non posse, quia non habuit durationes illi proximas, & sicut adversarij conditiones illas requirunt in ubicatione naturaliter acquirendâ, ita easdem æquali jure requiro ego in duratione.

III. Vt causa possit producere effectum, supponit eam prius non existisse.

Obiicitur secundò; ignis A jam existens habuit potentiam ad producendum ignem B. destructum, & ignis B. aptitudinem ad existendum, ergo etiamnum has retinent, cum eadem adhuc retineant prædicata, & eandem naturam. Resp. licet eandem habeant naturam quam antea, illa tamen, ut in actum prodeat, varias requirit conditiones, & una ex his in præsentia est, effectum illum prius extitisse, & jam esse destructum.

IV. Virtutem physicam à conditionibus extrinsecis pendere, nullus ferme negat.

Dices; non potest virtus operativa physica pendere à conditionibus merè extrinsecis, alioqui dicere quis posset dari posse conditionem merè extrinsecam, quâ posita ignis aliquis comburere tantum possit diebus Dominicis. Sed contrâ, aliquas dari conditiones extrinsecas, quibus positis, virtus physica operari possit, aut non possit, nullus ferme Philosophorum negat; sic enim æternitatem à partente esse præteritam est conditio, secundum multos, ut virtus physica omnipotentis Divinæ exerere se possit, & creaturam producere ad extra; causam univocam non adesse est conditio, ut causa

æquivoca operetur; item formam ignis A non esse alibi est conditio ut producat hic, & alia hujusmodi, quæ supra in hanc rem attuli d. 5. sect. 2. Nec tamen ex eo quod quis conditiones quasdam extrinsecas admittat, quæ cum re aliqua peculiariter habent connexionem, sequitur quascumque disparates esse admittendas: neque enim ex eo, quod formam ignis A non esse alibi, sit conditio ut producat hic, sequitur dari posse conditionem, quâ posita, Turca saltet semper ad numeros, & galli omnes gallinacei stent altero pede, ut eos semel singulis diebus stare fabulantur in suo Talmud Judæi, ut refert Sixtus Senensis lib. 2. Bib. sanc. lit. T. fine.

V.

Obiicitur tertiò, appetitus materiæ nihil aliud est quam ipsa materia, ergo si materia semel habuit, vel potius fuit potentia ad formam destructam, semper est. Resp. semper esse eo modo quo fuit, nempe casu quo non fuisset destructa.

VI.

Obiicitur quartò, est adhuc in materiâ privatio formæ corruptæ, ergo est subjectum aptum, ad illam habendam, sicque illam appetet. Contrâ, etiam est in materiâ hodie privatio durationis hesternæ. Resp. itaque privationem transcendentalem seu remotam, id est carentiam formæ pro aliqua differentia temporis aptæ inesse subjecto, esse in materiâ illâ, non verò privationem quam vocant prædicamentalem, seu proximam, quippe quæ multa alia involvit. Videantur dicta d. 18. Log. l. 10 nu. 4, ubi harum privationum discrimen latè exposui.

Quomodo sit in materia privatio formæ corruptæ.

Hinc infero, materiam formas corruptas appetitui prædicamentali non appetere. Existimo tamen, ut sec. præcedente insinuavi, si Deus formam aliquam materiale reproduceret, materiam denuò eam appetituram: sicut quamvis appetitu elicitu nullus prudenter appeteret cibum aliquem quem novit esse destructum, fructus ex g. anni superioris, si tamen Deus hoc anno eosdem rursum produceret in arboribus, prudenter posset quis eos appetere.

VII.

Materia proximè formas corruptas non appetit.

Conf. forma illa, si à materiâ separata produceretur, appeteret naturaliter materiam, cum naturaliter sine eâ existere non possit. Quod magis urget in unione, aut alio modo reproducto, ut pote qui nec divinitus esse possit, nisi affixus rei cujus est modus.

VIII.

Forma reproducta appeteret naturaliter materiam.

Conf. secundò, licet miraculosè aliquid vel producat primò, vel reproducatur, posita tamen re productione miraculosa, multa petit naturaliter: sic enim ignis reproductus peteret calorem, & combureret naturaliter, aqua peteret frigus, lux aërem, vel aliud subjectum, homo sensus omnes, & naturaliter incederet, videret, audiret, loqueretur: nec enim putandum est, quot Lazarus post resuscitationem protulit verba, tot fuisse miracula.

IX.

Ignis reproductus combureret naturaliter, lapis caderet, &c.

DISPUTATIO IX.

De existentia materia.

SECTIO PRIMA.

An materia habeat propriam existentiam, vel existat per existentiam forma.

I. 1. sens. aut materiam non habere

Celebris hac in parte est Thomistarum quorundam opinio, qui materiam ita puram esse volunt potentiam, ut nullum omnino, ne existendi quidem illi actum concedant, sed existentiam

à formâ emendicare eam asserunt. Ita Cai. tr. de En. te & Essentiâ c. 5. q. 8. ubi huic sententiæ ita mordicus adhæret, ut oppositum errorem vocet intolerabilem. Ferrar. 2. cont. Gentes, c. 68. & alij apud Suarium citandum.

propriam existentiam.

Secunda sententia ait materiam habere propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, incompletam tamen & materiæ proportionatam, per quâ est ens actu, & extra causas. Dicit ergo hæc sententia, in composito duas esse entitates incompletas, ex quibus entitas una totalis conflatur, seu unum compositum, & unamquamque entitatem incompletam suam

II.

2. sens. dicit materiam habere propriam existentiam.